

Disputatio medica inauguralis, observationes quaedam de phrenitide complectens ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Millett Boase.

Contributors

Boase, William Millett, active 1823-1882.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k593s9cf>

Provider

Royal College of Surgeons



License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



(3)
With the sincere
from the Author

DISPUTATIO M

INAUGURALIS

QUAEDAM DE

PHRENIT

COMPLETENESS

(3.)
James Woodford Esq^r

with the sincere regards of his
friend the Author.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

PHRENITIDE

COMPLECTENS.

Handwritten notes at the top of the page, including "Book of the" and "The History of the" followed by illegible cursive text.

PHRENTIDE

DISPUTATIO MEDICA

IN ACADEMIA

PHRENTIDE

COMPLETUM

PHRENTIDE

Faint, illegible text in the lower middle section, possibly a list or index.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a footer or publisher information.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
OBSERVATIONES QUASDAM
DE
P H R E N I T I D E
COMPLECTENS :
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


GULIELMUS MILLETT BOASE,
ANGLUS ;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.
NECNON
SOC. REG. GEOLOGICAE CORNUBIENSIS.

Μεγα βιβλιον μεγα κακον.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

PHRENITIDE

COMPLECTENS.

AUCTORE GULIELMO M. BOASE.

“**PYREXIA** vehemens; dolor capitis; rubor
“ faciei; lucis et soni intolerantia; pervigilium;
“ delirium ferox, vel Typhomania.”

Ille morbus, cui egregiè reddidit hanc definitionem **CULLENUS** illustris, in regionibus nostris simplex raro occurrit.

Si aequè frequens esset, ac plurimi alii morbi, et aequè lethalis ac in terris quibusdam, mors cito pede, et falce inexorabili per terras festinaret; et pauci relictī moerore communi lugeant. **GREGORIUS** noster in praelectionibus affirmare solebat, se nunquam vidisse Phreni-

tidis primariae unum exemplum. Illos praecipue affligit hic morbus, qui terras calidas incolunt. Apud Britannos, et incolas regionum mitium, se saepius ostendit indicium alius morbi: nec ideo multum minus timendum. Tunc enim eadem mala, quae primarius, inducit; et haud infrequenter ad eventum eundem tendit.

Phrenitis HIPPOCRATI bene nota fuit, qui de ea scripsit.

Cum anima putabatur in diaphragmate residere, illo tempore hic morbus (cujus signum praecipuum est mentis furor) ad hoc viscus relatus est, unde tulit nomen—*φρενησις*. Hodie bene intelligitur originem ducere ab inflammatione, vel ipsius cerebri, vel membrarum quae cerebrum circumvestiunt.

Phrenitidi praecurrit pervigilium et ante accessum morbi, aeger jam somno amplexus, subito expergiscitur somniis horrendis. Brevi, dolores acuti collum cruciantur, tendentes ad varias capitis partes; respiratio ex imo pectore fit; deficitque memoria. Vultus rubescit; lingua stat sicca, et scabra; pulsus irregularis, parvus, celer, et fere durus, attamen interdum

mollis videtur : Urinae secretio valde immutata, nec sedimentum ponit; fauces semper aridae sunt, sitis autem frequenter abest : In ventriculo ponderis sensus gravat, comitataque nausea.

Morbo ingravescente, ferox fit vultus; ardent oculi, luminis omnino intolerantes, violenterque agitati, quasi loculamentis erupturi; tinnitus aurium aegro incommodat; et fert dolorem sonus etiam levis; arteriae temporales, et carotideae manifestius pulsant. Haec signa comitatur delirium ferox. Æger saevit, musitat, et interdum omnino silet. Conceptiones mentis ejus non consentiunt vel inter se, vel cum rebus externis. Animus aliquando obruitur timore, ac eos, quibus sanus maxime fidit, furens in suspicione habet. Frequentius autem amicos et inimicos aequè cognoscere nequit; atque identitatis suae immemor, sibi et aliis omnibus adstantibus manus nocenter conjicit.

Eventus lethalis saepe decidit inter dies tertiam et septimam. Excitatio corporis tam valida diu nequit durare; in paucis diebus, unà

cum signis vehementibus residit, et corpus quàm debile relinquit. Hoc tempore pulsus minimus est, et adeo frequens, ut omnino quidem numerari non potest; vultus collapsus videtur et pallidus; difficultas spirandi magna est.

Morbo post diem septimam durante, interdum accidit vertigo insanabilis, stupor, Fatuitas, vel Mania. In uno exemplo, aegri memoria a Phrenitide ita imminuta est, ut per menses plurimos, ad quinque numerare non potuit. Quidam auctores nec parvi nominis, putaverunt coma indicare cerebrum ipsum morbi esse sedem; de hac sententiâ dissentit CULLENUS. Illi magis placuit credere inflammationem membranarum a signis acutissimis indicari, et affectionem cerebri dare signa longiora.

Qui temperamenti sunt sanguinei, vel atrabiliosi; et quibus aetas maxime viget, vel corporis habitus plenus; hi omnes Phrenitidi praecipuè obnoxii sunt.

Hic morbus a quibusdam ad hereditarios refertur, qui in paucis familiis accidere soleat. Illud autem pendere possit rebus quibusdam

in modo vitae, quae proclivitatem ad plethoram vel generalem vel cerebralem inducant. Qui lautius vivunt, et etiam otiosi sunt huic morbo periclitantur. Infantibus et aetate provecta confectis raro Phrenitis infestat.

Proclivitas Phrenitica inducitur vehementibus animi affectibus; vigiliis; studio nimis assiduo; et suppressione profluvii cujusdam soliti. Migrantes a regione miti ad calidam huic morbi objecti sunt: Phrenitis enim frequentius accidit sub caelo calidiori.

Quodcunque genus sanguineum excitat, hunc morbum inducere potest, praesertim in iis, qui vel corporis fabrica, ratione vivendi, vel ab aliis causis valde obnoxii sunt. Phrenitis gignitur ab omni stimulo, augente sanguinis impetum in cerebro, et in membranis ejusdem. Sic induci potest iracundia vehementi; studio nimio; venere immodice culta; exercitatione nimia; injuriis extrinsecus illatis; potionum usu ardentium; ictu solari; profluviis, ut Haemorrhoides, mensibus, &c. suppressis. Exempla proferunt quaedam Doctores LIND et PRINGLE, Phrenitidis ab aëre corrupto genitae.

Morbus qui ab illis describitur forsan similis est ei delirio quod in febribus typhoideis saepe occurrit; nam credere difficile est morbum, cujus causae aliae omnes, valde sunt stimulantes, his exemplis ab illa induci, quae manifeste infirmat.

Spectantes ad consensum notissimum inter cerebrum, et ventriculum; et ad nexum intimum qui inter haec viscera et partes omnes corporis videtur; mirari non possumus hunc morbum signis tam plurimis, et tam variis comitari.

Signa Phrenitidis planè oriuntur ab excitatione valida et in toto corpore et praecipue in viscere ipso; quae excitatio originem ducit in genere sanguineo, vel in genere nervoso. Rarissime, si unquam accidit alterum genus ab aliqua causa excitari, quin alterum etiam excitetur. Sic versus cerebrum sanguinis augeatur impetus a studio assiduo; dum necesse est cursum ejus validum esse ut conceptiones mentis vividi sint. In Phrenitide ubi cursus in cerebro nimis celer est, conceptiones irrum-punt in animos evidentiâ et celeritate percep-

tionum simplicium. Fluxus sanguineus ad caput auctus, vultum rubrum efficit; et sensum nervorum auget, adeo ut luminis et soni tolerare nequeant; et aegrotans tinnitu aurium turbetur.

Vultus ferocitas, et oculorum ardentia, ab excitatione mentis oriuntur. Excitationi et perturbationi generis nervosi, delirium, confusio animi, somnia horrenda, et pervigilia referenda sunt.

Hic morbus cum mania solâ confundi potest, et ab hac facile dignoscitur, si animum tendamus ad utriusque signa. Maniam nec comitatur dolor acutus, nec pulsus frequens, quae in Phrenitide semper adsunt. In illa memoria minime deficit, in hac maxime. In maniam aliquando vertitur Phrenitis; et exemplum chronicum a STOLL narratur, quod protractum erat per novem hebdomadas, et postea in maniam mutabatur.

Phrenitis cognoscitur simplex aggressionem subita. Cum signum est alius morbi, delirium sequitur signa notissima; cum simplex primum est ipsum signum. Per-

difficile est dignoscere inflammationem cerebri, ab illa membranarum; nec multum refert, quoniam utrique modus idem medendi. Quidam medici Hydrocephalum acutum ex classe hydropum transtulerunt in pyrexias, et non ineptè; omnia enim signa quae huic effusioni praecurrunt, inflammationem comitantur. Effusio ergo sequela habetur inflammationis, et morbo datur nomen genericum Cephalitis. Haec species infantibus qui nondum annos novem compleverunt, praecipue infestat.

Sectio cadaverum interdum nulla signa morbosa ostendit. Sed fere membranae indicia solita inflammationis praebent; aut cerebrum durius est justo, aut ulceribus corruptum. Nec desunt exempla, ubi, secto capite, indicia inflammationis sese ostendunt, nullis signis Phrenitidis in vivo observatis.

Tractando hunc morbum, tria sunt consilia. Amovere causam excitantem. Excitationem compescere; et omnes stimulos vitare. Ex signis tam vehementibus plane videtur morbum

et periculum maximum minari, et remedia tum promptissima tum validissima poscere.

Ut in Phlegmasiis aliis, sic etiam in hac praecipue inculcandus victus exiguus; et alias cursum sanguinis moderandum est.

Illud optime efficitur a sanguinis missione. Ubi detractio ab arteriis temporalibus fieri possit, beneficium sequitur majus: saepe autem aegrotantis inquietudo vetat, ne hoc efficiamus; et tunc melius sit sanguinem detrahere ex venis jugularibus. Oportet detractionem pleno rivo fieri, adeo ut genus totum afficiatur, et hoc effici solummodo potest tensionem vasorum imminuendo. Vasis etiam potestas est, se accommodandi ad molem rei contentae; si ideo sanguinem rivo exiguo detrahamus, nulla tensionis minutio fieret. Quoad quantitatem, nihil praecipere possumus; multum interest in variis hominibus; fere mittendum est ad animi defectionem; et si haec accidet priusquam tensio satis minuta fuerit, sanguinem mittere debemus parte levibus plagis secando. Cum aeger valde obnitatur, minime conaremur incidere vel arteriis temporalibus,

vel venis jugularibus : aeger enim plus mali ab excitatione, quam boni ab evacuatione reciperet. In exemplis hujuscemodi sanguinem e brachiis mittere debemus. Post missionem sanguinis caput radendum est, et aeger in conclavi tenebroso et bene ventilato ponendus. Caput conservari frigidulum oportet, ab aqua cum aceto, vel ab aliis refrigerantibus, ut a pileo luto vel nive facto ; et fulciri debet, ubi positura erecta incommoda est.

Pediluviiis calidis timuit uti CULLENUS, ne, motu sanguinis aucto, noceant. Opiatis etiam, quàm cautè monuit uti. Cum somnum integrum, sine ulla irritatione inducent, utilia erunt, sed multum abest, ut effectum eorum semper praevidere possimus : magnum enim discrimen in variis constitutionibus valet ; nec, nisi post experimenta, id discrimen intelligi potest.

In Phlegmasiis nulla purgantibus magis cedit quam haec. Fortiora tamen minime utenda : quippe quae totum genus excitant, et ita morbum adaugent. Melius erit adhibere purgantia salina, quae corpus refrigerant, nec valde irritant.

Post dejectionem plenam, aperientia sic repetenda, ut alvus nunquam constipetur.

Epispastica multum juvant, et partem affectam quàm prope adhibenda sunt.

Quibusdam medicis placuit corpus immergere in aquam frigidam; illud nunquam tutum erit, nisi post sanguinis evacuationem.

Balneum imbriferum in multis exemplis praestantissimum remedium fuit.

In hoc morbo Ægypti solebant nares culmis secare, vel lignis acutis; et hunc modum vasa capitis deplendi, HOFFMANNUS magno comodo se vidisse affirmavit.

Quietas mentis quam necessaria est curationi Phrenitidis. Ægrum ideo non turbari adstantibus strenue cavendum est. Fere medicus et nurus soli admittendi sunt; sed exempla quaedam accident, in quibus amicorum praesentia animum vexatum aegri levabit, et delirium cerebri compescet. Haec nulli legi subjici possunt. Est medici ad res morbi respicere, et ab his moneri.

Functiones cerebri tam magni momenti sunt, ut hujus visceris morbi maximum peri-

culum inducent. Inde in Phrenitide prognosis saepius adversa est. Quaerenda est de causa excitante ; de conditione signorum ; et de morbi duratione.

Quum Phrenitis inducta fuerit ab irritatione mechanica, cujus causa latet, vel amoveri non potest, nulla spes erit medendi. Cum solis radii morbum induxerint, exitus fere lethalis est. Exempla narrantur, ubi morbus sic illatus morti cederunt intra horas duas.

Signa, quae eventum secundum indicare videntur, haec sunt ; Epistaxis ; redivisus mensium vel alius evacuationis suppressae ; somnus integer ; sudores copiosi et generales, signa inflammationis minuentes ; dejectiones alvi plenae ac naturales ; urina plena, copiosum sedimentum deponens ; metastasis morbi ad aliam partem corporis, sese ostendens a tumore glandium, inflammatione articulorum, &c.

Signa sequentia mali ominis sunt : pervigilium ; lingua atra, arida, et scabra, sine potionis cupidine ; dentium stridor ; constipatio ; et urina exigua ; vomitus materiei viridis. Tremor vocis et articulorum ; res imaginarias pre-

hendendi conatus ; subsultus tendinum ; et siccatio subita ulcerum veterum mortem ad limina indicant.

Quum loquela delirium comitatur, minus timendum quam delirium omnino silens ; et illud delirium est melioris ominis, quod sine metu et suspicione exultat.

Si furor mentis adstat, post diem septimam, omnibus signis febrilibus profectis, in maniam vertitur, qui miseram urguet per totam vitam.

Cum signa vehementia discesserunt ; debilitas sola obstat, ne salus perfecta redeat.

Hanc amovere debemus victu lautiore. Usus vini modicus, et exercitatio lenis corporis vires augent. Hilaritas mentis adeo necessaria curationi, optime promovetur grata amicorum praesentiâ, et exercitatione leni sub dio.

Vix dicere necesse est, omnes illae causae quae Phrenitidem inducere possunt strenuissime vitandae sunt.

FINIS.

